

Q. 537, 19

B. m. II,

Π c
46

PROLVSIO GRAMMATICA
DE
PERMVTATIONE NVMERI APVD GRÆCOS

PRAEMISSA

X 2313063

DECLAMATIONIBVS IV

IN

SCHOLA NOVAE VRBIS AD DRESDAM

A. D. XVII. MAII MDCCCLXX

HABENDIS

AD QVAS AVDIENDAS

PATRONOS ATQVE FAVTORES
SCHOLAE

HVMANISSIME INVITAT

M. CHRISTIANVS FRIDERICVS QVELLIVS

RECTOR.



DRESDAE

LITTERIS HARPETERIANIS.



PROBANDI GRAMMATICI

DE

PROBANDI GRAMMATICI

PROBANDI GRAMMATICI

PROBANDI GRAMMATICI

PROBANDI GRAMMATICI

DE

PROBANDI GRAMMATICI

PROBANDI GRAMMATICI

PROBANDI GRAMMATICI

PROBANDI GRAMMATICI

PROBANDI GRAMMATICI

PROBANDI GRAMMATICI

PROBANDI GRAMMATICI

PROBANDI GRAMMATICI

PROBANDI GRAMMATICI

PROBANDI GRAMMATICI

PROBANDI GRAMMATICI



De
permutatione numeri apud Græcos.



In vulgaribus istis erroribus, qui sæpe in edendis explicandisque Græcæ et Latii auctoribus committi solent, haud scio, an ullus perniciosior atque turpior et esse et cogitari possit, perversa illa quorundam agendi ratione, qui in his omnibus numeris absolutis ingenii humani monumentis omnia ad vivum resecat, et ad jejuna quædam & vulgaria præcepta revocant, quæque eorum dictatis non satis respondent, aut in contemptum trahunt, aut eliminanda censent, aut addendis detrahendisque verbis corrigenda esse docent. Vix enim verbis explicari potest, quæ vulnera, hac nonnullorum infelicitum criticorum temeritate, præstantissimis antiquitatum monumentis fuerint inflata. Quare viri, qui in edendis interpretandisque auctoribus Græcis et Latinis omnium applausum tulerunt, tam scriptis, quam exemplis suis bene sapienterque docuerunt, interpretis officium neutiquam versari in eo, ut veteres in ordinem redigat, aut unice spectet, quid, vel quomodo debuissent scribere, sed, quid revera scripserint, et in codicibus manuscriptis legatur. In quam rem neminem legisse pœnitebit, quæ Cel. Casaubonus ad Athenæum, Lib. V. c. 9. p. 511. Cel. Burmannus in aurea, Phædro suo majori forma edito, præfixa præfatione, et Cel. Ernesti in prolusione, de grata negligentia, prudentissime monuerunt. Et merito sane ridetur eorum arrogantia, qui se, mediocri quadam doctrina inflati, satis eruditos esse putant, ut Homeri, Demosthe-

nis, Xenophontis, Ciceronis aliorumque in scribendo magistri esse possint. Quis enim putet, magnos illos, quibus antiquitas eminebat, viros, qui nos, si non ingenio et doctrina, certe linguæ scientia longe superarunt, ea, quæ nobis in eorum libris negligentius scripta esse videntur, ipsos neque vidisse, neque emendatius accuratiusque scribere potuisse? Vt quisque eorum, inquit Cel. Ernesti, loco supra laudato, a vita umbratica et scholastica longius abfuit, ita frequentior illis negligentia peccatis, minusque religiosus in parvis rebus fuit. Hoc enim non ingratam negligentiam, Cicerone auctore, hominis magis de re, quam de verbis laborantis, indicat. Neque igitur est, quod miremur, videntes optimos quosque scriptores, imprimis Thucydidem, Xenophontem et Ciceronem, qui plurimum in Republica, pace belloque administranda versati sint, multa sibi, in generibus et numeris, in casu et tempore, quæ parum accurata sunt, permisisse, ut orationem variarent; et satietatem, taedii matrem, evitarent. Qua de causa recte sine dubio iudicavit Cel. Hemsterhusius ad Lucian. Tom. I. p. 400, ratus, veteres multa usurpasse, variandæ orationis causa, studio quæsita. Quis igitur vitio vertet scriptoribus divinis, si quoque in eorum scribendi genere interdum quædam occurrunt, quæ vulgaribus præceptiunculis parum respondent? Aut quis eo audaciae procedet, ut ea loca omnia, aut corrigenda esse censeat, aut hebræorum loquendi consuetudini annumeranda esse putet? Tantum quidem abest, ut divinos novi fœderis scriptores ab omni hebraicarum locutionum suspitione liberandos esse putem, eorumque dictionis puritatem ex scriptoribus Atticis, et, quo nihil ineptius esse videtur, ex poetis Tragicis, defendendam esse statuam, ut potius permulta esse concedam, quibus non nisi ex fontibus hebraicis, cum versione Alexandrina collatis, lux accendi possit. Nihil tamen minus permulta quoque in codice sacro reperiuntur, quæ, quia a vulgaribus de numero et genere nomi-

nominum præscriptis regulis recedunt, hebræorum loquendi rationi, sed male annumerantur. Quum enim Homerus, Xenophon, Thucydides et alii, qui tamen accurate eleganterque scribendi laudem studiosissime aucupati sunt, sine hebraismi, aut vitii opinione repente, nullaque sæpe urgente necessitate, ab uno numero ad alium transilire potuerint; quare divinos scriptores, eadem libertate usos, a græca loquendi ratione et declinasse, ideoque reprehendendos esse putemus? Qua de causa Wokenius, Herzogius et alii, ut recte iudicavit Cel. Kreblius in decretis Rom. pro Judæis p. 135, qui, consilio haud dubie bono, omnes omnino *συγχύσεις* et enallagas e Novo Testamento eliminandas proscribendasque censent, pie forte, sed non vere iudicasse existimandi sunt. Pleni enim sunt horum virorum commentarii explicationibus perquam contortis, et usui loquendi contrariis, quæ magis ob bonum consilium, quo excogitatae sunt, quam ob veritatem sunt laudandæ. Præstat igitur quidem in legendis explicandisque Græciæ scriptoribus notare ea, quæ e Grammaticorum regulis vulgaribus parum accurata sunt, eaque cum locis divinis comparare, in quibus eadem dictionis varietas deprehenditur, ut litterarum studiosi, inprimis ii, qui aliquando nomina sua cum laude inter Theologos profiteri cogitant, genus dicendi scriptorum divinorum contra imperitos græcarum litterarum interpretes defendere, mature discant, rectumque divinorum oraculorum dictioni pretium statuere; sed nullo modo probanda est quorundam, non dicam temeritas, sed male sedula diligentia, omnia loca in divinis profanisque scriptis emendandi, quæ in generibus et numeris, in casu, tempore aut modo *ἀμάρτημα ἑκάστον* habebent. Quod prius equidem in explicandis interpretandisque Græciæ scriptoribus omni tempore sedulo observavi: inprimis cum præterita hieme in enarrandis Xenophontis memorabilibus versarer. Iuvat igitur hac prolusione, qua nonnullis disciplinæ meæ alumnis in habendis

orationibus, audientiam facere debeo, speciminis locō, de permutatione numeri apud optimos quosque obvia, pauca disputasse.

Ingenue liberaliterque fateor, me Cel. Clarkii præstantissimis in Homeri carmina notis, quibus græcarum litterarum studioſo, tam ad cognoscendam dictionis græcae naturam et indolem, quam ad dijudicandam carminis heroici vim et elegantiam, nihil fere utilius præstantiusque et esse et cogitari poteſt, penitus perlectis, ſummaque familiaritate cum his rebus contracta, in eam ſententiam fuiſſe perductum, ut omnes caſuum et temporum, modorum et numerorum permutationes riderem, easque cum illo magiſtro meo, in numerum portentorum, abſurdarum et ineptiſſimarum figurarum referrem, quibus Grammaticorum regulæ penitus everterentur. Qua ſententia, Clarkii auctoritate innixa, deceptus, id agere incipiebam, ut in legendis interpretandisque auctoribus Græcis paullo accuratius, quam antea, notareſ loca, in quibus hujus permutationis veſtigia eſſe videbantur, hoc quidem conſilio, ut ea deinde, ſpreta enallage, explicare tentarem. Quo labore, eſti non nego, me eo perveniſſe, ut per multa loca, ab enallage liberarem; tamen idem ego fateri debeo, me in multis aliis fruſtra ſuſaſſe, et omnibus interpretationis ſubſidiis adhibitis, permutationem præternavigare non potuiſſe. Tanta enim eſt, inprimis in Thucyde et Xenophonte locorum copia, in quibus manifeſtam generum et numerorum permutationem concedere, reſ ipſa non tam ſuadet, quam potius cogit, ut plane non videam, quid interpres, enallagen non admifurus, dicere poſſit. Quare etiam viri doctiſſimi, has non plane ingratas commutationes, tam in auctorum profanorum libris, quam in divinarum litterarum oraculis grati agnoverunt. Inſtituti igitur mei ratio exigere videtur, ut nunc ordine commemorem, quæ in numeri permutatione, apud Græcos ſint obſervanda. In quo neutiquam iſta vulgaria
attin-

attingemus, quae ad enallagen numeri pertinent: verum ea delibabimus, ubi haec permutatio doctis quoque viris, aut de textus integritate sollicitudinem excitare, aut interpretandi artificia exigere possit.

Græci saepe repente nullaque fere urgente necessitate ab uno numero ad alterum transeunt. Homerus, princeps græci ingenii et linguæ, interdum in uno commate, non metri necessitate coactus, a singulari ad pluralem transit. Iliad. β v. 135. δῆρα σέσηπε καὶ σπάρτα λέλυνται, ubi notent tirones, neutris pluralibus verba tam singularia quam pluralia addi. cf. Fischeri Animadv. ad Welleri Grammat. p. 306. Xenoph. Memor. Lib. II. c. 6. §. 6. Τὲς ἀνδριαντοποιὸς δοκιμάζομεν, ἐ τοῖς λόγοις αὐτῶν τεκμαιρόμενοι, ἀλλ' ὃν ἂν ἄρῶμεν καλῶς ἐργασμένον pro ἔς — ἐργασμένες. Xenoph. Mem. Lib. I. c. 2. §. 22. εἰς φιλοποσίαν προαχθέντας, καὶ εἰς ἔρωτας ἐκκυλισθέντας — σωφρονήσαντα pro σαντας. §. 62. Ἐάν τις φανερός γένηται κλέπτων — τέτοις θανάτις ἐσι ζημία, pro τέτω. Neque minus insignis est locus Lib. II. c. 3. §. 2. δύναται — ἀγνοῖσι, ubi Cel. Reiske legi vult ἀγνοῖ, sed cur non lubentius δύνανται? Etenim primo in sequentibus occurrunt, ἀνῆνται — πῶνται; deinde probabilior est scribarum lapsus, ex δύνανται in δύναται, quam ex ἀγνοεῖ, in ἀγνοῖσι: quae etiam est sententia Clar. Hindenburgii nobis familiarissimi, in animadv. in Xenoph. Memor. nuper editis, ubi duo alia loca e Xenophontis Hierone laudat, quorum alter ex Cap. 4. §. 2. διάγει — κελεύσει; alter ex Cap. 5. §. 4. συγκαίρει — ὄιονται, defumtus est. Sic Aeschines in Dial. περὶ θανάτε §. 8. καὶ κακῶν ἀμετρία pro ἀμετρία: praecedunt enim multa singularia, et Stobæus habet etiam singularem. Sed recte iudicat Cel. Fischerus p. 112. ad hunc locum, hanc lectionem a manu male fedula correctoris profectam esse. Aelianus V. H. Lib. I. c. 31. πᾶντες αὐτῶ Πέρσαι κατὰ τὴν ἑαυτῶ δύναμιν ἕκαστος προσκομίζει, pro ἑαυτῶν δύναμιν

δύναμιν ἑκάστοι. cf. Hoogveen ad Vigerum de Idiot. p. 136. ff. Cæterum tamen Manetho, quemadmodum post I. Gronovium, notavit Cel. Dorvillius ad Charit. p. 341. in his extra modum sibi indulget, ex quo etiam non parca manu suppeditat loca. Qui transitus, cum in auctoribus profanis frequens sit, quis igitur eum negandum aut culpandum existimet in oraculis divinis? Gal. VI. v. 1. καταρτίζετε — σικπῶν, quæ verba non tantum olim divum Hieronymum offenderunt, sed etiam recentioribus temporibus multos alios. 1 Timoth. 2. v. 15. Ἡ γυνὴ σωθήσεται — εἰ μὴ μέσσω, in quibus verbis Beza, hebraïsmum invenisse sibi visus est. Io. 10. 27. ἀκούει — ἀκούεθε. Apoc. 1. v. 3. ὁ ἀναγνώσκων καὶ οἱ ἀκούοντες. Quod ad Latinos attinet, etsi hic transitus numerorum apud eos ita frequens non est, quam apud Græcos; tamen eum Burmannus ad Quinctil. Instit. Lib. IX. c. 11. p. 790. Davisius ad Cic. de natura Deorum, Lib. I. c. 19. Cortius ad Sallustium in Catil. c. 56. notarunt. Quibus locis, lance quasi satura, juvat duo addidisse, quæ nos nuper in lectionibus publicis notavimus, alterum in Terent. Hec. Act. II. Sc. 2. Si quid est peccatum a nobis profer: aut ea refellendo aut purgando vobis corrigemus: alterum in Cic. ad div. Lib. II. ep. 9. In his enim sum locis, quo tardissime omnia perferuntur.

Ex hoc igitur repentino transitu, ab uno numero ad alterum, necesse est, ut numerorum enallage oriatur. Occurrit autem Singularis pro Plurali, tam in Substantivis, quam in Verbis. In Substantivis sæpe numerus unitatis pro multitudinis numero, modo cum majori virtute ponitur, modo, quod interdum pluralis non plus involvit, quam singularis. Xenoph. Mem. Lib. III. c. 5. §. 3. προγόνων καλὰ ἔργα — ᾧ πολλοὶ προτρέπονται, pro οἷς ἔργοις πολλοὶ. Xenoph. Oecon. c. 9. §. 7. δεσπότε δὲ ἅπαντα ἐστίν, ᾧ ἂν βέληται ἑκάστα χρεῖσθαι, pro οἷς ἂν βέληται, nec non c. 7. §. 37. οἷς ἂν κάμνη τῶν δικετῶν, pro οἷς ἂν τῶν δικετῶν κάμνωσι.

περὶ

περὶ ἀρετῆς. §. 4. ἐπέβαινε γὰρ ἐπὶ τὸν ἵππον ὀρθὸς ἐσηκῶς καὶ ἠκόντιζεν ἀπὸ τῶν ἵππων, ubi necesse non est, ut Cel. Fischer p. 62. demonstravit, ut ἐπὶ τῶν ἵππων legas. Charito, Lib. III. p. 59. φέρω σοι διηγήματα, ἐπὶ δὲ σκυθραπότερά ἐστιν αὐτῆ τὰ πρῶτα, pro αὐτῶν διηγημάτων. Neque minus huc referenda sunt loca, in quibus inter plura vocabula pluralia ponitur singulare, aut contra. Xenoph. Mem. Lib. III. cap. I. §. 7. Λίθοι τε, καὶ πλίνθοι, καὶ ξύλα, καὶ κέραμος, pro κέραμοι. Thuc. II. Λίθοις τε καὶ κεράμω βαλλόντων, pro κεράμοις. Quo tamen ducenda non sunt, ut Doctissim. Hindenburg. l. c. p. 115. recte monet, vocabula, quae aliter efferri non possunt. Xenoph. Mem. Lib. I. c. 2. §. 48. ἵνα καλοί τε καὶ γαδοὶ γενόμενοι, καὶ ἄκω, καὶ οὐκέταις, καὶ οὐκέοις, καὶ φίλοις, καὶ πόλει, ubi ὄμοις et πέλεσι dicere non potuit. Aeschines in Dial. περὶ θανάτου §. 8. καὶ φόβος, καὶ Ἀκαδημία, καὶ γυμνασιαρχία, καὶ ξάβδοι, καὶ κακῶν ἀμετρία, pro ξάβδος καὶ ἀμετρία. Eadem Enallage, nisi fallor, occurrat Matth. c. 3. v. 4. περὶ τὴν ὄσφον αὐτῆ pro ὄσφιας. Vnum enim lumbum cingulo circumdare nemo potest; cui rei accedit, ut Luc. c. 12. v. 35. ὄσφες περιεζωσμένας recte dixerit. Marc. 8. v. 1. παμπόλλε ἔχλα ἔντος, pro πλεῖσοι. Neque Latinis haec dicendi ratio plane insolens est. E multis pauca laudasse exempla sufficiat. Florus Lib. III. c. 10. §. 13. cum se testudine barbarus tegeret, pro Germani. Id. Lib. II. c. 6. §. 13. tectus eques terga pugnantium invasit: pro equites tecti. Iustin. Lib. V. c. 6. §. 8. Is miles erat, qui nomen Atheniensium tueretur: pro ii milites erant.

A Substantivis ad verba transire placet, ubi Singularis pro Plurali positus esse videtur. Solent nimirum Graeci post plura Substantiva etiam pluralia, verbum tamen unitatis numero efferre, inprimis cum proxima vox Singularis numeri sit. Xenoph. de republ. Athen: πένητες καὶ δῆμος
 b
 πλέον

πλέον ἔχει. Diodor. Sic. Lib. XX. c. 72. δάμναι καὶ δεήσεις καὶ θρήνος ἐγένετο. Charit. Lib. III. c. 3. βρενταὶ καὶ ἀτραπαὶ καὶ νύξ μακρὰ καταλαμβάνει. Id. Lib. IV. c. 3. δάμναι καὶ σενναγμός ἐπηκολέθησε. Thuc II. c. 29. Σιτάλικης ἐγένετο ξύμμαχος καὶ Περδικκίας. Id. Lib. IV. 69. παρεγένετο σίδηρος καὶ ἄλλα ἐπετήδεια. Si quis plura e Thucydide collecta hujus generis loca desiderat, adeat Cel. Baueri dissert. de lectione Thucyd. p. 8. Nec in Novo Testamento ejusmodi loca deficiunt. 2. Cor. 10. v. 10. αἱ μὲν ἐπιστολαὶ Φησί pro Φασί. Nam, eum omnes editiones, quas Millius vidit, et Cod. MSS. ab eo collati, nullum varietatis vestigium habeant, necesse, quodammodo est, ut Φησί legamus, et Singularem pro Plurali positum esse fateamur. Neque minus Latini, etiamsi pluralia præcesserint, verbum ultimo singulari accommodant. Virgil. Ecl. VI. v. 10. Te nostræ, Vare, myricæ, Te nemus omne canet. Plin. Paneg. c. 49. Peregrinæ superstitionis ministeria, aut obscoena petulantia oberrat. Plin. Lib. 7. epist. 27. §. 6.

A Singulari ad Pluralem transeamus. Solent autem Græci sæpe numerum multitudinis pro unitatis numero ponere, modo ad majorem rei certitudinem indicandam, modo, quia unam tantum rem, ex iis, quas ponunt, intelligunt, modo, quia nonnulla Substantiva in utroque numero eandem significationem habent. Etenim Aristotele auctore, in primis oratores usurpant numerum multitudinis pro Singulari, ut rem augeant. Xenoph. Mem. Lib. II. c. 3. §. 1. εἰ χρησιμώτερον νομίζουσι χρήματα, ἢ ἀδελφές ubi Henr. Stephanus, Welssius, et alii, præter rem, quoniam de uno tantum fratre in toto capite sermo est, in textus verba receperunt, ἀδελφόν. Quodsi autem, inquit Cel. Ernesti ad h. l. omnes hujusmodi generis locos in Xenophonte vellemus ad vulgarem dicendi rationem revocare, quot non mutandi essent? Plutarchus de educatione puero-

puerorum Cap. II. §. 9. Τί ἐν; ἂν τις εἴποι· πρὸς ἕς ἢ χαλεπὸν ἀπαν-
 τῆσαι, pro πρὸς ἕν. Id. c. 13. §. 11. ἐν μισθατῆ διαδέσει. Καὶ γὰρ
 ἐκεῖνοι, pro ἐκεῖνος. Homer Odyss. λ' v. 105 — 107. πελάτης — ἔυρητε,
 pro ἔυρης. Talis enim numerorum commutatio, inquit Cel. Ernesti,
 quam sensus admittit, sine vitio, et non raro est apud poetas. Quare
 etiam hæc variatio numerorum in N. T. nec improbanda, nec Hebraïsmis
 semper annumeranda est. Sic Matth. I. v. 21. σώσει τὸν λαὸν αὐτῆ ἀπὸ
 τῶν ἀμαρτιῶν αὐτῶν, pro αὐτῆ. Matth. 2. v. 1. μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν, pro
 ἀνατολῆς, ut sequente commate dicunt magi ipsi, ἴδομεν αὐτῆ τὸν ἀστὲρα
 ἐν τῇ ἀνατολῇ. Ebr. 6. v. 2. βαπτισμῶν διδασχῆς, pro βαπτισμῆ. Rom. 12.
 v. 1. διὰ τῶν ὀκτιμηῶν τῆ Θεῆ. Et si autem in his locis, ad majorem
 rei indicandam magnitudinem et certitudinem Pluralis pro Singulari po-
 situs esse videtur; tamen tamerarium esset, in omnibus ejusmodi plu-
 ralibus emphasin quærere, ut multi interpretum, inprimis in loco Paulino
 ex epistola ad Romanos petito, falso putarunt. Neque Latini, ab hac
 numerorum permutatione plane abhorrent. Cic. Lib. I. epist. I. ad div.
 Tanta est magnitudo tuorum erga me meritorum, pro Tui erga me me-
 riti. Loquitur enim Cicero, de eo, quod Lentulus in revocando Cice-
 rone ex exilio fecerat. Sic Lib. IX. epist. 9. Te cum video, omnes
 mihi Granios, omnes Lucilios, vere ut dicam, Crassos quoque et Laelios
 videre videor. Accedamus ad ea loca, in quibus vocabula numero plu-
 rali elata occurrunt, quæ in unitatis numero eandem vim et potestatem
 habent, quam in plurali habere videntur. In horum numerum refert Cel.
 Clarkius ad Hom. Iliad. α' v. 14. velamina, ferta, vittæ, et quæ non. Sic
 Homer. Iliad. α' v. 14. Στέμματα ἔχων, pro στέμμα. Iliad. γ' v. 15. τόξα
 pro τόξον. Anacreon od. 14. v. 10. δῆρα pro δῆρον. Id. od. 15. κάρηνα pro
 κάρηνον. Aeschines περὶ θανάτου. §. 21. σπλάγγνα pro σπλάγγχων.
 b 2 Matth.

Matth. 24. v. 18. Io. 13. v. 4. *ἱμάτια* pro *ἱμάτιον*. Nam in utroque loco de pallio tantum, seu de veste externa, sermo est. Inprimis portarum nomina, apud optimos quosque tam Græcos quam Latinos, in multitudinis numero efferuntur. Homer. Iliad. γ'. v. 263. *διὰ Σκαιῶν* per portam Scaeam. Theophr. charact. c. 14. §. 4. *κατὰ τὰς Ἡρίας πύλας*. Pausan. I. c. 23. *πύλαι Μελίτιδες*. Aeschin. *περὶ Θανάτου*. §. 3. *ἐπὶ ταῖς Ἰτωνίαις*. Virg. Aen. Lib. II. v. 612. portae Scaeae. Lib. VI. v. 631. aduerso fornice portas. Lib. X. v. 308. ad portas juvenumque senumque persequitur. Lib. IX. v. 499. Portisque defluit. Florus Lib. I. c. 1. §. 12. Sabinis proditae portae. Neque minus τὸ πλῆθος ubivis fere pluralem sibi vindicat. Homer. Iliad. β'. v. 278. *ὣς φάσαν ἢ πληθὺς*. Ael. V. H. Lib. 14. c. 22. *περίεξήσαν ἔν αὐτὸν καὶ περιῆλθον τὸ πλῆθος*. Quare etiam Luc. 23. v. 1.lectionem plurimorum codicum, *καὶ ἀναστάντες ἅπαν' τὸ πλῆθος* praefendam iudico vulgari, *καὶ ἀναστάν τὸ πλῆθος*, inprimis cum idem divus Lucas in eundem modum dicit, in Actis c. 15. v. 30. *Συναγαγόντες τὸ πλῆθος, ἐπέδωκαν*. cf. Sancti Miner. p. 538. Restat, ut loca laudemus, in quibus Pluralis pro Singulari occurrit ita, ut una tantum res intelligenda sit earum, de quibus in antecedentibus sermo fuit. Matth. 21. v. 7. *καὶ ἐπέθηκαν ἐπάνω αὐτῶν*, pro *αὐτῆ*. Nam *πᾶλος* et *ὄνος* praecedit. Quare Cel. Krebsius in Obser. e Josepho, docuit omissum esse *εἷς*: collocarunt eum super unam illarum bestiarum: et hanc dicendi rationem, locis e Josepho petitis, probavit. Matth. 27. v. 44. collato Luc. 23. v. 39. *καὶ οἱ λησαὶ ἀνείδισον αὐτῷ*, pro *εἷς τῶν ληστῶν*, seu *εἷς τῶν κρεμασθέντων κακέρων*. Hinc Luc. 2. v. 22. *ἡμέραι τῆ καταρισμῆ αὐτῶν* legendum esse videtur, nec *αὐτῆς*, nec *αὐτῆ*, ut multi volunt, legere placet.

Jam ad Dualem venit oratio mea, quem Attici et Jones, docente Sanctio in Minerva, p. 30. probarunt, Aeoles autem rejecerunt. Solent autem

autem Græci sæpe Dualia immiscere Pluralibus; atque adeo Dualem pro Plurali, et contra, ponere. Occurrit autem Dualis cum Plurali conjunctus in his fere locis. Xenoph. Mem. Lib. I. c. 2. §. 14. τὰ ἄνδρες τέτω — ἦδεσαν, pro ἡδέσθην. §. 18. ἐφοβημένοι μὴ ζημιούντο ἢ παύοντο, pro ζημιούσθην ἢ παύοσθην. Xenoph. Mem. Lib. II. c. 3. §. 18. ὥσπερ εἰ τῷ χεῖρε, ἄς. Xenoph. Cyrip. Lib. I. c. 2. ἀμφοῦ ταύτας ταῖς ἡμέραις, pro ἀμφοῦ τέτω τῷ ἡμέραις, quam lectionem, Cel. Gesnerus in Chrestomathia in textus verba non tantum recepit, sed etiam contra Hutchinson et Welsium, quod miror, defendit. Dualis autem pro Plurali non tantum collocatur, ubi sermo de duobus est, ut Clarkius ad Homer. Iliad. α. v. 566. docet, sed etiam ubi de pluribus, quam duobus, loquuntur auctores. Et si Cel. Clarkii sententiam confirmat locus, Homer. Iliad. δ. v. 452 — 453. ποταμοὶ — συμβάλλετον: (Quemadmodum enim, inquit, fluvii e montibus defluentes in se invicem hostiliter irruunt; sic etiam Trojanorum et Græcorum exercitus se petebant; Sicuti igitur de duobus exercitibus sermo est; ita etiam haud dubie de duobus fluviiis loquitur;) tamen Clarkii sententiam plane destrunt, sexcenta alia. Aratus. v. 1004. βοῶντες καλοῖσι. Orpheus in prooem: de lapidibus v. 77. οἱ ἀδίδακτοι φυγέτην, quam interpretationem calculo suo probavit Gesnerus ad hunc locum, p. 301. His addere placet sequentia, in quorum aliis de duobus, in aliis de pluribus sermo est. Homer. Iliad. α. v. 566. ὅσοι θεοὶ εἰσ', ἐν Ὀλύμπῳ ἄσπον ἰόνθ', ὅτε pro ἰόντες, non ἰόντα, quod frigidam tautologiam prodit. Homer. Iliad. ε. v. 487. ἀλόντε — γένηθε. δ. v. 186. ubi Hector de quadrigis suis dicit: Νῦν μοι τὴν κομιδὴν ἀποτίνετον. ι. v. 67. Φηλακτῆρες δὲ ἕκαστοι λεξάδων. eod. libro v. 182. τῷ δὲ βιάτην κήρυκες. Odyss. δ. v. 48. κέρω δὲ κρηδέντε δύο καὶ πενήκοντα. Aristoph. Plutus v. 56. παρόντε pro παρόντας. Eurip. Hec. 1571. καθίζοντε pro καθίζοντες.

Orph. Argon. v. 349. ἐπιμάτῳροι ἐσὲν. Callimach. in lavacro Pallad. v. 10 et 70. λυσάμενα, pro λυσάμενα. Quemadmodum autem Dualis, ut vidimus, pro Plur. ponitur; sic etiam Pluralis pro Duali in his fere locis occurrit. Aelian. V. H. Lib. VI. c. 10. ἐξ ἀμφοῶν αἰσῶν pro αἰσῶν, quam lectionem unice veram esse, falso pronunciavit Schefferus. Kuhnus enim tria in contrariam partem commemoravit loca. Plutarch. in Pericle ἐκ δυῶν Ἀθηναίων. Id. in Camillo, δυῶν ὑπάτων καθιζαμένων. Diogenes Laert. in Socrate ἐκ δυῶν Ἀθηναίων. Oppian. Halieut. Lib. II. v. 277. ἰθμονες ἄνδρες, pro ἰθμονε ἄνδρες. Aesch. περὶ πλέτε. §. 2. ἐτυχέτην παριόντες. Aesch. περὶ Θανάτε. §. 1. ἤσῃν δὲ αὐτῶν pro αὐτῶ ubi Cel. Wolfio reponendum esse videbatur αὐτοῶν. cf. Cel. Fischer. p. 97. Plato in Apolog. §. 4. ἔρχομεν αὐτῶν ἐπιστάτην λαβεῖν, pro αὐτοῶν, quod Stephanus textus verbis; præter necessitatem, inseruit.

Indicandum nunc est consilium, quo ad hanc prolusionem edendam animum appulerimus. Scilicet producendi sunt IV erectae indolis, bonæque spei Juvenes, qui in arte dicendi tirocinium palam ponere constituerunt. Dicent autem hoc ordine

I. IOANNES HENRICVS CLEM, Lorenzkirch: de rebus bellicis Xenophontis.

II. IOANNES FRIDERICVS GVILIEL. FINKE, Misfenensis, de monumentis ingenii Xenophontis. Vterque oratione latina eaque profaica.

III. IOANNES GODOFRED. ZICHNERVS, Klotzschaviensis ad Dresdam, orationem Voluptatis ad Herculem habitam, e Xenophontis Memorab. Lib. II. c. 1. græce repetet et refutabit.

IV. Ca-

IV. CAROLVS GODOFRED. KIMMELIVS, Dresdenſis, orationem
Virtutis ad Herculeſem habitam, ex eodem Xenophontis loco,
carmine elegiaco exprimet.

Quo facto ZICHNERVS carmine germanico valedictet, cui KIMMELIVS
fauſta quæque apprecabitur.

Ad quos iuvenes benevole audiendos, ut Scholarum Patroni et Fau-
tores, inprimis Vir Magnif. Summeque Venerab. Scholae Noſtræ Ephorus,
Senatus utriusque Urbis Ampliſſimus, et Reverendi verbi diviai Miniſtri,
ſi per cætera negotia licet, convenire velint, humaniſſime officioſiſſimeque
rogamus. Scripſi in Schola Novæ Urbis ad Dresd. a. d. X. Maii A. R. S.
clō clō CCLXX.




QK II c 46

In Carolis Gotthard Kinnarve, D. d. 17. Junii 1750.
 Vindex ad Praesidium habitus, ex sedem Xanthopoli, in
 carnis digno expulso.

Quo loco Xanthopoli carnis germanicae relictis, cui Kinnarve
 in praesentia appropinquavit.


Ad quos juvenes benevole audientes, ut Scholium Patris et
 Lore, inquitis Vir Magnae Saneque Veneris Scholae Hofiae
 Senatus anteaque Viris Amplissimis, et Reverentibus viri
 et per cetera huiusmodi, communitate vestra, humanitas
 regnum. Sed in Schola Nova M. d. 1750. a. J. K. M. A. R. 2.

cl. 1750.



mi





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

OK. 537,19

B. m. II,



PROLVSIO GRAMMATICA

DE

PERMVATIONE NVMERI APVD GRÆCOS

PRAEMISSA

X 2313063

DECLAMATIONIBVS IV

IN

SCHOLA NOVAE VRBIS AD DRESDAM

A. D. XVII. MAII MDLCCCLXX

HABENDIS

AD QVAS AVDIENDAS

PATRONOS ATQVE FAVTORES SCHOLAE

HVMANISSIME INVITAT

M. CHRISTIANVS FRIDERICVS QVELLIVS

RECTOR.



DRESDAE

LITTERIS HARPETERIANIS.

